

Ex iisdem commentariis, quae haec omnia suppeditarunt, emanavit quoque *Itinerarium*, quod *Antonini* appellamus, in usum publicum inde excerptus index locorum praecipuorum eorumque distantiae. Utriusque subinde comparebat nova recensio, numero rerum immutatarum per provincias ita crescente, ut antiquior verae viarum rationi minus conveniret. Quum igitur recensiones diverso tempore editae conferuntur, magnae discrepantiae occurunt. Comparanti Peutingerianam Tabulam cum Itinerario manifestum id erit. In priore illa per Rhaetiam provinciam viam habes ex Helvetia ad Danubii fluenta ducentem, in Itinerario ejus nulla mentio. Alia Tabulae via a Campoduno (Kempten) brevissima directione orientem versus dicit ad Juvaviam (Salzburg); nec illam deprehendis in Itinerario, quod plane diversam tibi ostendit ab Augustâ Vindelicorum Juvaviam usque perductam, cuius nullum in Tabula vestigium. Causa diversitatis in diverso recensionis aevo; tertio saeculo edita est Tabula, ut inferius patebit, Itinerarium versus finem saeculi quarti, quo intervallo temporis novae exstructae erant viae, antiquiores derelictae.

Artificioso Tabulae Pictae operi in aula principis asservato haud difficulter inserebantur mutationes, simul atque per provincias erant institutae, delebantur obsoletae; ut autem et in populi notitiam mutationes factae pervenirent, passim novae Itinerarii editiones publica auctoritate prodierunt. Editionum ejusmodi ultima Antoninorum forsitan aevo comparuit, indeque nomen *Itinerarii Antonini*. Id re vera quo dixi modo accidisse certis argumentis confirmare haud possum, conjecturam tamen veritati proximam esse, Itinerarii aspectus ostendere videtur. In his enim quibus utimur exemplis, permultas intermedias et transversas vias deprehendimus, non suo loco positas, alias per easdem regiones ductas in libro magno paginârum intervallo a sua vicinitate dimotas, ut confusio inde necessario oriatur, nec urbes nisi e nostrarum editionum indicibus colligi queant. Publica auctoritate adeo turbatam editionem prodiisse eo minus credendum, quod cura necessaria adhibita, ordo purior haud difficulter natus fuisset. Post igitur Antoninos novae editiones privatorum hominum opera institutae esse videntur, qui collectas posteriores viarum immutationes, ubi idoneum sibi visum, insererent.

Wesselingius in sua ad Antonini *Itinerarium* praefatione, perpensis diversorum opinionibus, ea quam novimus sagacitate simul et moderatione, Constantino Magno id recentius esse affirmat, ductus potissimum compluribus urbium indicatis nominibus, eo aevo prima vice auditis. E. g. Constantino-poleos, Diocletianopoleos etc. Ad posteriora tempora non descendit, quod in Africa urbs Constantina in Itinerario antiqua sua appellatione vocatur certa. Ad roboram sententiam e sua editione p. 139 possuisset adjungere: „*Byzantio quae et Constantinopoli*:“ clarissimo indicio, non ita multum temporis effluxisse, ex quo nominis mutatio invaluit. Ejus sententiae, Itinerarii editionem ad vetustiora tempora ascendere non posse, quilibet antiquitatis peritus sine dubio accedet; de recentiore aevo invitus dissentio, nec tamen magna opinionis differentia. Ante annum p. Chr. n. 364 edi vix potuisse *Itinerarium* ex eo colligo, quod in eo omnis deest Mesopotamiae urbiumque per eam munitissimarum mentio. Quum igitur *Itinerarium* ederetur, deperdita jam erat provincia post diuturnum cum Persis bellum, quibus eam cessit Imp. Jovianus a 364. — Certae urbis nomen nec Wesselingii nec meo judi-